



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. Quæritur caussa contentionis inter Nicolaum & Episcopos Gallicanos ob antiquas Decretales. Scilicet ut nova regula illis epistolis asserta constitueretur in synodis & judiciis Episcoporum, quæ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

## De Concordia Sacerdotij

*Gratianus cap. 51  
Romaniens. D.  
xii.*

enim illi Decretales epistolas priscorum Pontificum ideo non admittendas, quod in codicem canonum non essent relatæ. Reponit Nicolaus, ex hoc sequi nec ipsas Scripturas sacras Veteris & Novi Testamenti suscipiendas, quia codici ecclesiasticorum canonum non sunt insertæ. Si autem Galli respondeant, Innocentij decreto, quod in codicem canonum relatum est, statui ut Testamentum Vetus & Novum recipiatur, eadem ratione dici posse Decretales illas epistolas esse recipiendas, quia Decreto Leonis Papæ caveretur omnia Decretalia constituta decessorum suorum custodienda esse. Itaque nihil interesse utrum sint omnia decretalia sedis apostolice constituta inter canones Conciliorum immixta, cum omnia in uno corpore compaginari non possint. Quod Nicolaus confirmat Gelasij Papæ definitione, cuius hæc sunt verba: *Decretales epistolas quas beatissimi Papa diversis temporibus de urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dede- runt, venerabiliter suscipiendas decernimus.* Hic Gelasij locus à Nicolao & Hincmari trahitur in partes. Sanè si commentitia non essent epistolæ veterum Pontificum, Gelasius Nicolai caussam juvaret potius quam Hincmari. Sed aliud Hincmari argumentum invicatum remanet, nempe canonibus posterioribus derogatum fuisse priscis illis Decretalibus, etiæ veræ forent, quarum ratio habenda non sit in iis capitibus quæ Codici Canonum adverstantur. In ceteris enim articulis, Galliæ Episcopi testimoniis harum epistolarum utebantur, ut antè dixi. Quod illis Nicolaus objiciebat: *Cum ipsi, inquit, sue intentioni hæc suffragari conspi- ciunt, illis indifferenter utuntur.*

## C A P V T V I .

## Synopsis.

I. Quaritur causa contentionis inter Nicolaum & Episcopos Gallicanos ob antiquas Decretales. Scilicet ut nova regula illis epistolis asserta constitueretur in synodis & iudicis Episcoporum, que inconsulto Romano Pontifice peragi prohibentur, etiam si appellatum non fuerit.

II. Tandem epistola illa recepta sunt initio tertie Regum dynastie, ut patet è Concilio Remensi. Collectio Burchardi his epistolis aucta. Iovis quoque, qui primus in Occidente jus civile cum canonico in unum corpus compedit. Ecclesia Gallicana usq; olim codicis Theodosij, libro xvi. Gratiani collectio, ejusque au- thoritas.

III. De collectionibus decretalium breviter.

IV. De novi juris incremento, unde processerit. Iuris constitutendi auctoritas revocata ferè ad Summum Pontificem; & nova negotiorum species corpus juris

auxerunt. Novus ordo judiciorum ecclesiasticorum, Beneficiorum institutio. Matrimoniorum impedimenta, & iudicia. Nova constitutiones de excommunicationibus, de religiosis, de privilegiis, & exemptionibus. Is est rerum status, ut antiquum jure sufficere non possit ad divimendas controversias.

V. Ex superioribus confutatur Lefchafferij sententia, qui veram Libertatem Ecclesie Gallicana confituit in jure antiquo. Ea sita est in recto antiqui & novi juris usu. Hæc est sententia B. Ludovici, Caroli VI. & Ecclesie Gallicane.

VI. Decretales Episcoporum administrationem temporarunt, non abstulerunt. Cui locus esset juxta juris antiqui regulas, cogente necessitate.

I. **C**VM tantopere Nicolaus exegit à Gallis ut his epistolis in canonum censum admittendis faciles se præberent, ipsique tam constanter sententiam suam retinuerint, non alienum erit in causam hujus contentionis inquirere. Eam mihi collegisse videor ex Hincmario: qui prolatio in Concilio Attiniacensi decem provinciarum anno DCCCLXX. quinquaginta quinque capitulorum opusculo adversus Hincmari Laudunensis Episcopi collectiōnem edito, ejus consilium in illa collectiōne adornanda his verbis aperit: *Querens adinventiones ut te metropolitana subiectione posses exuere, libellum de patrum antiquorum scriptis ante sacros Nicene Synodi & aliorum sanctorum canones editis collegisti: in quibus sententias inter se dissont, & contra evangelicam, & apostolicam, atque canoniam, & apostolice sedis auctoritatem, immiscuisti.* Hæc una ratio Nicolao I. persuasit ut se acerriū vindicem earum epistolarum præstaret, quò facilius Episcopos Romanas sedi sine medio subjiceret. Ex iis enim novam illam regulam veteribus canonibus incognitam constituit, scilicet Episcopum, etiam si non appellaverit Romanam sedem, à synodo provinciæ inconsulto Romano Pontifice deponi non posse. Nicolai verba hæc sunt in epistola ad Episcopos Galliæ, de Rothadi Episcopi Suectionensis caussa loquuntis: *Etsi sedem apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen & tanta vos decretalia efferre statuta, & Episcopum inconsultis nobis deponere, nullomedio debuisti.* In eandem sententiam in Concilio Romano peroraverat, cum Rothadum restituere: *Quanquam etsi nunquam provocasset, nunquam omnino preter scientiam nostram deponi debuerit: quia sacra statuta & veneranda deicta, Episcoporum caussas, nuptie majora negotia, nostre definiendas censuram mandarunt.* Statuta illa decretalia, quorum meminit Nicolaus, referri debent ad epistolas Viatoris, Sixti, Marcelli, Zephyrini, Iulij, & aliorum Pontificum. Iis duo præcipue caventur. Primum,

*Hincmarus l. 1.  
Hilf. Rer. op.  
11. &c. 11.*

*Vide lib. 7. c. 5.  
6. 24.*

*Nicolaus p. 10.*

*Nic. in Concl.  
Rom anno 106.*

rum, ut nulla synodus provincialis Episcoporum criminales causas definiat, in consulta Romana sede. Secundum, ut nulla synodus præter sedis illius auctoritatem cogatur. His duobus capitibus præcipuum discrimen Iuris antiqui & novi continetur. Vnde effectum est ut Metropolitanorum dignitas, & synodorum provincialium auctoritas, quæ in canonibus decernendis aut judiciis reddendis vigeat, maximè debilitata sit, atque adeo novæ quæ in dies emergeret solent negotiorum species, non amplius in Concilio Gallicano, ut fieri solebat juxta mores antiquos, sed in Concilio Romanis primum, deinde à solis Pontificibus discissæ & decisæ fuerint; licet synodorum provincialium congregati & canonum condendorum potestati in universum Episcopi Gallicani renuntiare noluerint. Qua de re uberiori tractavi in Dissertatione de Concilio Diocesano. Quare mirandum non est si Ecclesia Gallicana adeo rigide Collectionem Isidori, quod ad illos articulos attinet, exploserit, & antiquos canones adversus novas Decretalium regulas constantissimè afferuerit, cum de judiciis Episcoporum, & de synodorum provincialium potestate, post Nicolai obitum cum Hadriano II. & Ioanne V IIII. disceparet; ut docui in Exercitatione de Iudicis Canonici Episcoporum. [Vide librum septimum.]

II. Tandem vero eò devenutum est ut tantis nominibus veterum Pontificum cesserint, una cum reliquis Episcopis, etiam Gallicanæ Ecclesiæ rectores: qui in Concilio Remensi ab Hugo & Roberto Regibus Francorum coacto anno nonagesimo nonagesimo secundo, Anacleti, Iulij, Damasi, & aliorum Pontificum epistolas expanderunt, in causa Arnulphi, ac si in canonum censum receptæ essent. Quare Burchardus Wormatiensis Episcopus, cùm novam collectionem canonum institueret circa annum millesimum vigesimum, eam, ex seculo sui sensu, primorum Pontificum epistolis auxit: quibus & selectos ex Augustino, Hieronymo, Gregorio, & Isidoro locos adjunxit. Eadem rationem secutus est Ivo Carnotensis in ea Collectione Canonum quam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum circa annum millesimum & centesimum publicavit. Sed Burchardo in eo superior fuit, quod ante Iuris civilis promulgationem (quæ post obitum Lotharii II. studio Mathildis Comitissæ procurata est) quamplurima ex Digestis, Codice, & Novellis transcripta in collectionem suam retulerit; ita ut exemplo Ioannis Scholastici & Photij

Patriarcharum Constantinopolitanorum, Ius Civile cum Canonicō coniuncterit. Vt batur quidem olim Ecclesia imperatoriis legibus ad judicia ordinanda, & Galliarum Episcopi Codicem Theodosianum sequebantur, ut docuit Hincmarus. Sed in Occidente prima utriusque Iuris collectio debetur Ivo Carnotensi; qui etiam canones in synodis provincialibus editos non omisit. Successit Gratianus, qui Decretorum corpus nova quidem methodo adornavit; sed collectionem tam Dionysij Exigui, quam Isidori, & Iovonis, in partes disseparat, in unum corpus industria sua temperatum compedit; & aliquot legibus, constitutio-nibus novis Pontificum & Conciliorum, & patrum locis amplificavit, circa annum millesimum centesimum quinquagesimum. In scholis publicè recitat & quotidie prælegitur Gratiani Decretum. Sed, ut recte monuit vir eruditissimus Antonius Augustinus, cùm Gratiani Collectio privato studio instituta sit, quæ refert auctorum testimonia non majori pollent auctoritate quam antea obtinebant. Quare canonum & pontificiarum Constitutionum excerpta, suprema auctoritate apud omnes excellunt. Quæ vero è provincialibus Conciliis aut Patrum libris accepta sunt, non omnes tenere possunt.

III. Gratiani Decretum subsecutæ sunt tres Decretalium epistolarum Alexandri III. Innocentij III. & Honorij III. Collectiones: quas exceptit ultima Gregorij IX. de qua loquitur Mathaeus Paris: *His quoque temporibus Gregorius IX. videns tediousam Decretalium pralixitatem, sub quodam compendio eas eleganter abbreviatas & collectas solenerit & authenticè per totius mundi Latitudinem legi precepit & publicari.* Gregorium secuti Bonifacius VIII. Sextum Librum Decretalium, Clemens Clementinas Constitutiones, Ioannes Extravagantes suas, & aliis quidam Extravagantes communes ediderunt: quæ ideo Extravagantes dicuntur, quia extra Gratiani Decretum vagantur. His voluminibus comprehenduntur capita Conciliorum Lateranensis, Lugdunensis, & Viennensis, quæ per varios titulos secundum subjectam materiam sparsa sunt.

IV. Quæri solet, qua ratione effectum sit ut Ius Canonicum, quod per octingentes annos unico codice, eoque non valde amplio, continebatur, in tantam molem excreverit, ut lacertorum perinde ac ingenij viribus opus sit ad volumina illa terenda, & an jus novum à veteri magnopere deflexerit. Ardua quidem est quæstio proposita, cui secundum dignitatem discutiendæ

T

Hincmarus ep. 4.  
c. 6. edition. Mo.  
Sexus decimus li-  
ber legum, quibus  
una cum sacra Ca-  
nonum funda mo-  
deratur Ecclesia.  
P. et Liber 16. Co-  
dicitus Theodosianus.

Mathaeus Paris in  
Henrico III.

Vide eruditissi-  
mam Differatio-  
nem Fr. Florentii  
Antecelloris meri-  
tillini de Origine  
Iuris Canonici,  
parte secunda.